

The Electronic Manipulus florum
www.manipulusflorum.com

Passio at
cum fonte primo

Christus in die crucifixionis sue sic obumbratus atque defensus est ut nec animus eius confusionem aliquam pateretur, nec caro ipsius corruptionis iniuriam sustineret.

Bene diffinita est passio Domini, dies belli scilicet quando dyabolo uicto infernorum claustra dirupta sunt, captiui liberati sunt.

Cassiodorus super illud Psalmorum:
Obumbrasti capud meum in die belli.

Cum dicit Ecclesia caput suum obumbratum in die belli, significat beatam Domini passionem, qui in illo die crucifixionis suae sic obumbratus atque defensus est, ut nec animus eius confusionem aliquam pateretur, nec caro ipsius corruptionis iniuriam sustineret, quando et ipse sibi in uigesimo primo psalmo uenire deprecatur auxilium. Decursa enim passione sua ait: *Tu autem, Domine, ne longe facias auxilium tuum a me: ad defensionem meam respice* et cetera.

Bene autem definita est passio Domini, dies belli, scilicet quando, diabolo uicto, infernorum claustra dirupta sunt, captiui liberati sunt,

solusque moriendo triumphauit, qui nouo more mortem morte destruxit.

Aurelius Cassiodorus, *Expositio Psalmorum*, 139, 8 (CCSL 98, M. Adriaen ed., p.1258, ll.125-136).